



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Cono Prænestinus Episcopus ab Hildeberto laudatur quòd integer esset inter munera. Admonet deinde illum ut in proposito perseveret, neque se muneribus præstet obnoxium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Apud Barom. ad
an. 1059. §. 43.
Fide etiam Joan-
nem monachum
in vita Petri Da-
miani cap. 16.

ricis, qui aiebant non debere Ambrosianam Ec-
clesiam Romanis legibus subjacere, nullamque
judicandi vel disponendi vim Romano Pontifici
in illa sede competere, nimis indignum esse ut
quæ sub progenitoribus eorum semper exte-
rerat libera, ad confusionis eorum oppro-
brium nunc alteri foret Ecclesiæ subjecta.
Auxit hanc indignationem ordo confessus
in synodo servatus, cui præfuit Petrus Lega-
tus, ad dexteram habens Anselmum Epif-
copum Lucensem, ad sinistram verò Gui-
donem Archiepiscopum Mediolanensem. Et
tamen ista tentabantur ab homine sanctissi-
mo & modestissimo, & qui ista agere ausus
non esset, nisi ea fuisset seculi illius disciplina.

V I. Ista præmittenda erant ut veniremus
ad narrationem magni exempli ab eo tum
editi. Ea est auctoritas cui contradici non
possit. Rem quippe ad se pertinentem scripsit
ipse Petrus Damiani in epistola ad Domini-
cum Loricatum eiusque fratres: *Dico vobis
quid mihi nuper acciderit. Mediolanensem urbem
Domini Nicolai Pape legatione sanctus adivi.
Ibi dum essem, Abbas sancti Simpliciani vascu-
lum mihi argenteum loco muneris misit. Quod
dum oblatum repente vidissem, primò quidem as-
pernatus abhorui, & cur ille mihi manus offer-
ret subtiliter inquiri. Suspiciatus quippe sum
quod negotium fortassis haberet, atque ideo anti-
cipando præveniens, muneribus occuparet. Mos
quippe est apud nos, ministros videlicet apostoli-
cæ sedis, ab his quorum negotium pendet nihil
provisum accipere, ab his autem qui omnino quieti
sunt, si dare voluerint, non abscicere. Et hæc re-
gula non omnium nostrum, sed illorum duntaxat
est qui meliuscule se ab aviditate custodiunt.
Quid plura? Convenitur ad commune colloquium,
cur donum sit largitus inquiritur, utrum causam
habeat sciscitatur. Addit deinde Petrus ma-
nifestè patuisse hoc munus ab Abbate da-
tum esse amicitiae tantum causa, multas por-
rò contradictiones passum esse se in conf-
scentia sua propter munus acceptum, deni-
que temperamentum excogitasse quo, cum
alter recipere noller datum, munus retine-
ret, & cupiditatis suæ turpitudinem, ut lo-
quitur vir sanctus, palliaret. Verùm cum
nec sic conquiesceret mens ejus, ex eremo,
quò se receperat, rixam mentis suæ ultra
non perferens, Abbati illi munus suum re-
mittere studuit, certus se contra sordes mu-
nerum jam cautiùs vigilaturum.*

V I I. Sequens seculum plurima bona
exempla protulit. Initium autem faciendum
est à Gonone Episcopo Prænestino, quem
legatione apostolicæ sedis in Gallia ornatum
fuisse avo Callisti secundi constat. Laudat
illum Hildebertus Archiepiscopus Turo-
nensis ob ceteras quidem virtutes ejus, sed
Tom. II.

ob eam in primis causam quòd integer esset
inter munera, id est, quòd flecti se non si-
neret muneribus. Hæc sunt ejus verba ex
epistola x l v. ad hunc Legatum data: *Zel-
um legis habes; quem tamen tibi cathedra non
contulit, sed apud te invenit. Id ostendunt com-
missa tibi Ecclesiæ negotia, quæ pariter & inter-
minas intrepidus & integer inter munera sub ca-
pitis discrimine peregisti. Admonet deinde il-
lum ut in proposito perseveret, nè se mu-
neribus præstet obnoxium: Perseveres oro,
inquit, nec aliquando patiaris ut illud purissimum
bonæ conscientie tuæ argentum cuiuslibet muneris
scoria decolorer. Venturus est Sathanas ad te, qui
temete, qui dicat: Hæc omnia tibi dabo, si pro-
cidens adoraveris me. Sed, si bene novi te, sic
respondurus es tentanti: Vade retro Sathana.*
Hæc Hildebertus, satis innuens raram fuisse
abstinentiam illam in Legato sedis apo-
stolicæ, existimans insuper ejus momenti
ejusque periculi rem esse ut non immeritò
admonendus esset Legatus ne se munerum
oblatione frangi sineret.

V I I I. Sed o mihi locum suavem, inquit
sanctus Bernardus, ubi incidit occasio memo-
randi & nominandi suavisissimi odoris virum,
Episcopum loquor Carnotensem Gaufridum, qui
legationem in partibus Aquitaniæ propriis sump-
tibus strenuè administravit, idque annos plures.
Rem loquor quam vidi ipse. Eram cum eo in terra
illa, cum à quodam Presbytero presentatus illi
est piscis quem vulgò vocant sturjonem. Percun-
ctatus Legatus quanti venerit, Non accipio, in-
quit, nisi receperis pretium. & resignavit solidos
quinque invito & verecundo. Item cum essemus
in quodam oppido, domina illius oppidi obtulit ei
pro devotione cum manutergio duas vel tres pa-
ropsides pulchras, ligneas tamen: quas aliquan-
diu intuens homo scrupulose conscientie, lauda-
vit eas, sed non acquievit accipere. Quando ar-
genteas recepisset qui ligneas refutavit? Perstrin-
git ista Joannes Saresberienensis, auctore usus
sancto Bernardo, his verbis: *Taceo quòd ve-
nerabilis pater Gaufridus Carnotensis, Legatus
Aquitaniæ, provincialium munera non recepit,
nisi in causa esculenti & poculenti, & hoc cum
summa frugalitate, sed omnia que in xeniorum
ratione offerebantur, ut sterora contemnebat. Te-
statur sanctus Clavevallensis quòd piscem quem
vulgò sturjonem dicunt, à devoto quodam lega-
tionis suæ Clerico gratis accipere noluit, nec ante
acquievit offerentis improbitati quam ei pro ad-
missa pretium numeraret. Fuit autem Gaufri-
dus Legatus in Aquitania sub Innocentio II.
ut supra vidimus.*

IX. Ejusdem Innocentij ætas protulit
alium virum memorabilem dignumque ha-
bitum cui idem sanctus Bernardus elogium
poneret. Fuis is Martinus Presbyter Cardia-

X

S. Bernard. lib. 4.
de consider. c. 5.

Joan. Saresb. lib.
5. policrat. c. 25.

Vide supra cap.
44. §. 11.